

sunt, quae nihilo minus in aliam rem transferri possunt; ut, si quis dicat: *Quadruplator, ut breviter describam, capitalis est. Est enim improbus, et pestifer civis.* Nam nihilo magis quadruplatoris, quam juris, quam sicarii, aut proditoris attulit definitionem.

Item vitiosum est, pro argumento sumere, quod in disquisitione positum est: ut, si quis quem furti arguat et dicat, eum esse hominem improbum, avarum, fraudulentum; ei rei testimonium esse, quod sibi furtum fecerit.

Item vitiosum est, controversiam controversia dissolvere, hoc modo: *Non convenit, Censores, istum vobis satisfacere ex eo, quod ait, se non potuisse adesse ita, ut juratus fuerat. Quid? si ad exercitum non venisset, idne tribuno militum diceret?* Hoc ideo vitiosum est, quia non expedita, aut judicata res, sed impedita, et in simili controversia posita, exempli loco profertur.

Cap. XXVII. Item vitiosum est, quum id, de quo summa controversia est, parum expeditur, et, quasi transactum sit, relinquatur, hoc modo:

Aperte fatur dictio, si intelligas.

Tali dari arma, qualis, qui gessit, fuit,

Jubet, potiri si studeamus Pergamo:

Quem ego profiteor esse me: me aequum est frui

Fraternis armis, mihique adjudicariet.

Vel quod propinquus, vel quod virtute aemulus.

Item vitiosum est, ipsum sibi in sua oratione dissentire, et contra ea, quae ante dixerit, dicere, hoc modo:

Quare accusem hunc, nequeo exputando evolvere.

Nam si veretur, quid eum accusem, qui est probus?

Sin inverecundum animi ingenium possidet,

Quid eum accusem, qui parvi id auditum aestimet?

Non incommoda ratione videtur sibi ostendisse, quare non accusaret. Quid? postea quid ait?

Nunc ego te ab summo jam detexam exordio.